


eiusdem speciei, quia detrahitur, & defectus non est simpliciter, sed detractio ergo per quartam petitionem, vel primam diffinitionem erit proportio inter illas. Sunt enim ambæ detractæ.

*Quarta animi communis sententia.*

Inter quantitatem, & defectum minorem quantitate, cuius est defectus, est proportio, quatenus est quantitas. Sit a b linea, & detracta quantitas b c, non maior a b & d sit alia quævis quantitas eiusdem generis, dico quod inter d & b c est proportio quatenus b c est quantitas, quia sunt eiusdem generis ideo sunt in aliqua proportionem per primam diffinitionem. Sed ut b c est defectus, nulla est proportio: quia quanto b c augetur, tanto augetur proportio d ad b c, & hoc est contra demonstrata ab Euclide.



*Quinta animi communis sententia.*

Cum proportio producitur ex proportionibus quælibet illarum dicitur producta diuisa per alteram.

*Sexta animi communis sententia.*

Æqualium quantitatum seu proportionum ad tertiam comparabilium eadem est proportio atque vicissim. Hæc etsi demonstratur ab Euclide, est tamen hic generalior: & satis per se nota, ut sit propior animi communi sententiæ, quàm rei demonstrandæ.

*Septima animi communis sententia.*

Ad quod quantitas proportionem habet infinitam, id in genere illius quantitatis non comprehenditur.

Nam proportio est duarum quantitatum eiusdem generis comparatio certa: at hæc comparatio certa non est: non igitur quantitates ambæ sunt, aut non eiusdem generis.

**PRIMA PETITIO.**

SI fuerit primi ad secundum, ut tertij ad quartum, & ex primo in secundum producat æquale, aut maius, aut minus primo, vel secundo, producat eodem modo ex tertio in quartum æquale aut maius, aut minus tertio, vel quarto eadem ratione & ordine.

*Secunda petitio.*

Proportiones possunt duci, diuidi, iungi, & auferri, & sumi radix in eis cuiuscunque generis, atque earum quantitates, ut libet, possunt transponi.

*Tertia petitio.*

Proportionis cuiusuis nomen à denominatore suprâ scripto, & numeratore infrâ scripto sumitur.

*Quarta petitio.*

Diuisa quauis quantitate per aliam eiusdem generis, quod exit proportio dicitur.

*Quinta petitio.*

Quælibet proportio est vel inter duas quantitates, vel per vnam significatur.

Nam per tertiam petitionem si sint duæ quantitates, quæ non habeant vnius rationem, nomen sumit proportio à duobus numeris, sin autem sit altera monas, erit per secundam animi communem sententiã, proportio numerus ipse. Idem patet, quod dicitur.

*Sexta petitio.*

Proposita proportione quacunque & monade quantitatem inuenire, quæ se habeat ad monadem in proportione proposta.

Nam cum per quartam petitionem diuisa quantitate per quantitatem exeat proportio, & numerus ad monadem se habeat, ut proportio, idem sumpta monade secundum illum numerum, ille numerus est quantitas quæsitæ.

*Septima petitio.*

Quælibet quantitatem per aliam eiusdem generis diuidere posse.

*Octaua petitio.*

Proportionem in proportionem ducere posse: quamuis sint inter quantitates diuersi generis.

Quod dicitur de multiplicatione intelligendum est de aliis operationibus suprâ enumeratis.

*Nona petitio.*

Monadem semper sumere in quocunque genere posse proposita proportione.

Nam licet diuidere per septimam petitionem quantitatem per quantitatem proportionis: & quod exit, est proportio per quartam petitionem, & per secundam animi communem sententiã illa proportio est numero æqualis: ergo diuisa proportione, per similem numerum statuetur monas.

*Decima petitio.*

In quouis genere quantitatum sumere posse quantitatem, quæ se habeat ad monadem in proportione data. Similem huic proponit Euclides in lineis generaliter: nos autem contra generaliter in omnibus quantitibus, sed de monade tantum.

*Duodecima  
sexi. Elem.*

*Vndecima petitio.*

Monadem in quacunque quantitatem ductam æquale ipsi producere. Similiter & proportionem æqualem.

Nam cum aliqua quantitas augeat ducta aliqua